



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illo qui in paganismo vxorem suam dimiserit. lix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

iiisdem reuersis propria refoventur. Quod si in mancipiis, vel in agris, aut etiam in domibus ac possessionibus tē seruatur, quantō magis in coniugiorum redintegratione faciēdum sit, vt quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio refoventur?

Vt si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ ecclesiastica communione priuanda sint. Cap. LVII.

Ite eiusdem, cap. 45.

SI autem aliqua mulieres ita posteriorum virorum re sunt captæ, vt malint his coherere quàm ad legitimum redire consortium, merito sunt norandæ, ita vt ecclesiastica communione priuentur, quæ de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibi pro sua incontinentia placuisse, quod iusta remissione poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione coniugia, neque vllō modo ad opprobriosa mala voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit: quia sicut hæ mulieres quæ reuerti ad viros suos noluerint, impiæ sunt habendæ, ita illæ quæ in affectum Deo inritum redeunt, merito sunt laudandæ.

Vt si viri de captiuitate regressi, intemperantia vxorum offensi non fuerint, & voluerint eas in coniugio recipere, liberam habeant facultatem.

Caput LVIII.

Ite eiusdem, cap. 44.

ET ideo si viri post longam captiuitatem reuersi, in dilectione suarum coniugum perseuerent vt eas recipiant in suum redire consortium, omittendum est & inculpabile iudicandum quod necessitas intulit, & restituendum est quod fides poscit.

De illo qui in paganismo vxorem suam dimiserit.

Caput LIX.

SI quis gentilis gentilem dimiserit vxorem ante baptismum, post baptismum in potestate eius erit, eam habere, vel non habere.

De baptizato, si vxor eius infidelis conuerti noluerit.

Caput LX.

Simili modo si vnus ex coniugatis baptizatus est, & alter gentilis, & sequi non vult, sit sicut dicit Apostolus: infidelis si discedit, discedat.